

sequitur qui licet caritate iustificatus omittit culpabiliter sacramentum. Hinc est ea conditio quae apponitur: *si articulus necessitatis exclusit ministerium baptismi.*

Alter locus ad rem non facit, sanctificatio enim catechumeni, de qua Augustinus ibi loquitur, ea est, quae externis ritibus et ceremoniis ab Ecclesia institutis peragebatur.

Ad auctoritatem Concilii Arausicanii dicendum quod amor ibi accipitur quemadmodum frequenter caritas penes Augustinum, quae non est semper amor perfectus Dei, quae tamen sufficit ad requirendum baptismum. Accipitur nempe amor sub conceptu confuso determinabilis ex adjunctis sermonis.

Quod vero Tridentinum statuit, cum sit exceptio regulae, probat contrarium; non enim pro aliis suscipiendis Sacramentis, pro quibus status gratiae requiritur, exigunt confessio et absolutio, sed sufficit contritio perfecta. Unde mirum est adeo adversarios in hoc arguento exultare. Nec frusta iam vere contritis administratur tum Sacramentum baptismi tum Sacramentum Poenitentiae, nam et oportet exsecutioni mandari votum illud, sine quo nec remissio prius data fuisset, et oportet per baptismum hominem Ecclesiae incorporari, et per poenitentiam accipi directam remissionem peccatorum: oportet nempe illud facere, cuius adhuc obligatio manet.

Difficultas petita ex cp. 6. Sess. VI. Conc. Trid. solvetur inferius opportuniore in loco.

#### THESIS XXIV.

(q. v. a. 3.)

*Ut perfecta contritio et caritas iustificet, non postulatur I quae-dam certorum graduum intensitas, aut II certi temporis du-ratio; sed III dummodo sit in sua specie perfecta, iustificat ante Sacramenti susceptionem et quidem semper, non tantum in mortis articulo vel in casu necessitatis deficiente copia Sacra-menti aut accidente martyrio.*

I. Refert Suarez D. IV. triplicem sententiam eorum, qui certum gradum intensitatis in contritione requirebant, ut esset proxima dispositio ad iustificationem. Prima est eorum, qui exigebant summam intensitatem, quam homo exhibere potest per totum conatum sibi possibilem. Est sententia Hadriani in IV. q. 2. De Poenitentia. Altera est illorum, qui volebant maximam intensionem, non quidem absolute, sed comparative, idest ut homo doleat de peccato maiori intensione, quam de quolibet alio malo et quam diligit quodlibet

creatum bonum. Ita Petrus Soto lectione 14 et 15 De Poenitentia. Tertia sententia, quamvis non requiratur summa intensio, vult requiri certum aliquem gradum intensionis, quem Deus novit: pro qua tamen sententia nullum certum auctorem se agnoscere testatur Suarez. Ex recentioribus quoque, qui attritionem negant sufficere cum Sacramento, negant quoque quamlibet contritionem ex caritate conce-pitam dispositionem esse proximam ad iustificationem, sed certam secundum gradus intensitatis contritionem exigunt, robustam, per-fectam; volunt enim veram in sua specie caritatem tum imperfectam (quam inchoatam caritatem appellant), tum perfectam (quam intensam caritatem vocant) esse posse, et hanc tantum, non illam iusti-ficare. Ita Gaspar Iuenin Comm. hist. et dogm. de SS.<sup>is</sup> De Poe-nitentia q. IV, c. 4. Merbesius Summa Christiana. De Poenit. Diss. IV. q. 13. Berti De Theolog. discipl. lib. XXXIV. c. 5. Le Drou De Con-tritione et Attritione Dissertationes quatuor Diss. IV. c. 2. Gazzaniga Praelect. theolog. Tom. IX. Diss. VI. c. 5. prop. 1. et c. 7. a. 3. Inter omnes eminent Christianus Lopus in dissertat. Dogmatica De Con-tritione et Attritione c. 7. docens quod « caritas, quae sine actuali Sacramento hominem catechumenum aut poenitentem infalli-bili lege donet remissione peccatorum easque vires etiam contritioni communicet, est sola caritas perfecta, quae vivit patienter, de-lectabiliter moritur et omnem rerum creatarum adfixivum amorem in nobis extinguit ».

Est pariter sententia Scoti in IV. D. XIV. q. 2. actum, qui est contritio, non habere rationem contritionis, nisi prius aliquo tempore duret, quod tempus taxatum est a Deo.

¶ Anonymus auctor, quem Bellarminus refellit De Poenit. L. II. c. 13. ipse est Baius, qui (cf. eius propos. 71. citatam in Th. praeced.) negabat contritis contritione ex caritate concepta remitti pec-cata aut reatum poenae aeternae, absque actuali susceptione Sacra-menti Baptismi vel Poenitentiae, nisi forte in mortis articulo. Pariter Estius in 4. D. XVII. §. 2. negat contritionem perfectam iustificare semper ante susceptum sacramentum, sed aliquando tantum id fieri concedit.

II. Quatuor sunt praemonenda 1.<sup>a</sup> Distinguenda est remissio cul-pae a remissione culpae et totius poenae simul. Item distinguenda est consecutio remissionis culpae, quae sit deinceps stabilis, constans aduersus tentationes, perseverans, aeternamque salutem consequens, a simplici consecutione remissionis. Haec vero omnia confundunt more suo Theologi non pauci sec. XVII et XVIII ut Iueninus cum citatis superius alisque, qui sua aetate magnam sibi laudem penes suos pepererunt, cum, ut ostendant necessitatem, pro obtinenda iu-

stificatione, amoris vehementis intensique secundum gradus, provocant ad proxim antiquam poenitentiae publicae, quae in plures annos protrahebatur, qua poena peccato debita expianda erat, atque ad eorum dicta Patrum, quae de poenitentia fructuosa h. e. salutem tandem obtinente loquuntur.

2) Nullus est actus, qui sit sine aliqua intensione; et cum haec per se sit divisibilis in infinitum, poterit quocumque gradu concipi alius minor: quamvis forte in ordine physico naturae terminus quidam sit, sub quo non possit existere alius actus imperfectior. Non est ergo quaestio simpliciter utrum aliqua intension in actu caritatis et contritionis esse debeat. Sed quaestio est utrum requiratur intension summa, quae est in potestate hominis aut certus gradus ita ut sine illo adhuc tota essentia actus haberi posset. Quaestio est scilicet utrum sufficiat actus, in quo vera sit essentia contritionis, quamvis si fieri posset, quovis intensionis gradu careret, an praeterea requiratur modus quidam intensionis, sine quo tamen actus essentia maneret, et utrum requiratur intension maxima vel absolute vel comparative vel quaedam Deo tantum cognita.

3) Cum dolor sit duplex et in voluntate et in sensu, duplex quoque intensitas doloris distingui potest: sunt tamen per se haec duae intensitates separabiles ad invicem et frequenter separantur. Non est autem quaestio de intensitate doloris sensibilis, qui neque necessarius est, et cuius intensitas non est ex se certum argumentum excessus appretiativi doloris voluntatis.

4) Dolor voluntatis, ad quem excessus appretiativus spectat, esse potest talis ratione suae essentiae, quin sit summus et maximus ratione intensitatis, h. e. quin sit vehementissimus. Ratio est, quia essentia eadem secundum speciem manere potest in diversis gradibus: appretatio vero Dei super omnia speciem quamdam actus amoris constituit.

III. Quaestio ergo huc redit: utrum recipienda sit huiusmodi distinctio contritionis conceptae ex amore Dei propter se et super omnia, in contritionem remissam, quae non sufficiat ad iustificationem et in intensam, quae ad id sufficiat. Nos negamus contendimusque omnem veram contritionem ex eo motivo conceptam sive remissam sive intensam valere ad iustificationem.

Itaque primo haec, cum inventa fuit, erat distinctio aliena a doctrina communi universae Scholae Theologorum. Theologi antiqui, qui s. Thomam praecipue sunt secuti, distinxerunt quidem contritionem in perfectam et imperfectam, sed contritionis imperfectae nomine, quam et attritionem dicebant, eam contritionem intelligebant, cui aliquod deesset essentiale elementum contritionis, quatenus nimurum

non sit ex amore Dei vel non sit super omnia; omnem autem veram contritionem habebant ut perfectam et iustificantem, sive remissive intensa esset. Ita s. Thomas heic, ait enim: « Dicendum quod contritio duplē habet dolorem, unum rationis, qui est disiplentia peccati commissi, et hic potest esse adeo parvus *quod non sufficiat ad rationem contritionis*, ut si minus ei displiceret peccatum quam debeat displicere separatio a fine: sicut etiam amor potest esse ita remissus, quod non sufficiat ad rationem caritatis (cf. quae diximus in Declaratione Th. praec.). Alium dolorem habet in sensu, et parvitas huiusmodi non impedit rationem contritionis..... Sic ergo dicendum quod *quantumcumque parvus sit dolor; dummodo ad rationem contritionis sufficiat, omnem culpam delet* ».

Ita Durandus in IV. D. XVII. q. 1. « Dispositio ex parte hominis est aliquando, et ut plurimum, imperfecta a principio, quando homo timore poenae incipit poenitere de peccato; poenitentia enim timore concipitur, solus autem timor non disponit sufficienter hominem ad salutem, seu ad iustificationem: et vocatur talis dispositio Attrito. Dispositio vero perfecta est, quando homo detestatur peccatum non solum timore poenae, sed quia est contra reverentiam et obedientiam Deo debitam et quia separat a consortio Dei, quem summe debemus diligere, et vocatur contritio: sed talis dispositio simul est cum gratia in eodem instanti ». Ita alii, quos vide citatos penes Suarez l. c.

Et ut compendium citationum faciamus, accipe distinctionem inter contritionem perfectam et imperfectam traditam a Toleto ex mente praecedentium Theologorum in sua Instructione Sacerdotum L. III. c. 4. Data prius definitione Contritionis, quae est praeteriti peccati, ut est Dei offensa, voluntaria super omnia detestatio cum proposito futura super omnia vitandi et commissa confitendi; ea que definitione per partes explicata ita ut particula *super omnia* non intelligatur nisi excessus appretiativus, subdit « Adverendum est quoties aliqua pars ex praedictis deest, tunc non contritio, sed quaedam alia imperfecta species fit, quae attritio dicitur, quasi imperfecta contritio: quae maxime modis his contingere potest ». Modi autem, quos proponit, hi sunt: a) cum detestatur peccatum, non *quia est Dei offensa*, sed *quia turpe est animae*, factique eam servam diaboli, mereturque poenas aeternas, aut *quia ex eo secutum est aliquod malum temporale*. b) Cum non detestatur peccatum super omne detestabile, non enim vere mallet quodcumque malum subiisse, quam peccasse. c) Cum licet existat detestatio, deest propositum firmum vitandum futurum peccatum. d) Cum quis desiderat habere contritionem, quam tamen nondum habet. Docet de-

inde quaenam ex his attritionibus cum Sacramento sufficiat. Vides ne vestigium quidem heic esse distinctionis in contritionem remissam et intensam, cuius intensionis imo necessitatem excludit ep. sequenti.

Hinc Bellarminus de Poenit. L. II. c. 11. statuens non requiri certum gradum intensionis, ait hanc negantem sententiam esse adversus nonnullos; et sane ex Scholasticis citari non solet nisi Hadrianus, Petrus Soto pro sua speciali sententia, et Scotus qui tamen potius de duratione quam de intensione loquitur. Citatur etiam, sed male s. Bonaventura in IV. D. XVI. 6. I. a. q. 1. nam *intensio motus*, quam exigit maiorem in contritione quam in aliis doloribus in eo est, quod amor Dei dominetur voluntati; dominium autem in hoc ponit, quod homo pro nullo damno vel commodo velit offendisse et offendere Deum, quod spectat ad appretiationem.

Imo advertendum est huiusmodi opinionem, quod graduum intensitas in caritate et contritione requiratur pro iustificatione ex opere operantis, a Bellarmino ibid. c. 13. exhiberi ut tributam per calumniam Catholicis Theologis ab haeretico Kemnitio; eumque in finem hoc commentum esse ab eo excogitatum, auctore eodem Bellarmino, ut doctrinam catholicam clarissimam et expeditissimam ostenderet ille haereticus obscuram et implicatam. Haec ergo opinio aetate Bellarmini non censebatur catholica, sed potius calumnia haereticorum.

Itaque huiusmodi distinctio contritionis vere ex amore Dei propter se super omnia conceptae, in remissam, quae peccatis delendis non sit par et intensam, quae sufficiat ad hoc, aliena erat a communi doctrina Scholae.

VI. Eadem opinio reiicitur analysi instituta propositionum Baii damnatarum. Satis sit duas considerare. Prima propositio est: « Caritas perfecta et sincera, quae est ex corde puro et conscientia bona et fide non ficta, tam in catechumenis, quam in poenitentibus potest esse sine remissione peccatorum ». Caritas, de qua propositio loquitur, est caritas perfecta: dicimus autem caritatem heic exhiberi, quae perfecta sit quoad essentiam, sed nullum determinatum gradum intensionis exigens. Sane 1) haec erat ea aetate significatio huius additi, quemadmodum ex dictis liquet: 2) si *perfecta* significaret speciale gradum perfectiore, sine quo essentia esse potest, perperam additum fuisset illud *sincera*, quod nedum nihil novi dicit, sed minus. 3) Caritas perfecta et sincera est ea caritas, quae est ex corde puro et conscientia bona et fide non ficta, atqui omnis vera caritas est talis. 4) Est ea caritas, de qua Baius loquitur in suo libro de Caritate, in quo propositionem hanc docet: loquitur enim de ea caritate, quae definitur ab Augustino: animi motus ad fruendum Deo propter se ipsum, c. 7; per quam fides non est mortua, sed viva,

ibid. de qua loquitur Paulus 1. Cor. XIII. ibid. de qua s. Bernardus l. c. dicit quod sufficiat, si desit crita culpam aqua baptismi, ibid. haec autem est vera caritas. Porro nunquam Baius indicat se intensem quemdam gradum caritatis in catechumenis et poenitentibus cogitare: neque distinctionem instituit in caritatem remissam et intensam: imo appellatio haec perfecta non fit ibi a Baio caritati, de qua loquitur, sed fit a Pontifice propter eos characteres, quos Baius adserit caritati, quae tamen appellatio a Baio acceptatur; qui tandem in sua Apologia, quoad hanc propositionem, respondit se perfectae caritatis nomine eam intellexisse, quae extensive quidem perfecta esset, seu Dei super omnia, non autem intensive. Et quamvis dicat se de ea caritate esse locutum, quam Augustinus appellat boni cupiditatem, ut reapse identidem in libro de caritate sic eam Baius appellat; nihilominus hanc boni cupiditatem iis notis exornat, quas supra indicavimus, quibus verus et perfectus caritatis actus constituitur. Ergo caritas quae, iuxta Apostolicae Sedis decretum (quae in sensu ab auctoribus intento propositiones eas damnavit), nequit esse sine remissione peccatorum, est omnis caritas vera et perfecta quoad essentiam.

Quarta propositio est: « Homo existens in peccato mortali sive in reatu aeternae damnationis potest habere veram caritatem: et caritas etiam perfecta potest consistere cum reatu aeternae damnationis ». Heic occurrit *caritas vera* et *caritas perfecta*, quaerimus ab adversariis an *perfecta* caritas sit eadem ac vera, an alia? Si eadem, cum omnis caritas etiam remissa sit vera caritas, ergo in his propositionibus nomine perfectae non venit caritas intensa, sed simpliciter caritas quoad suam essentiam completa. Si vero est alia: ergo sententia prioris partis propositionis alia est a sententia posterioris ab eaque independens: ideoque et ipsa damnata. Porro ea pars prior docet caritatem veram posse esse simul cum peccato; definitum ergo est caritatem, dummodo sit vera, excludere peccatum mortale.

Concilium Tridentinum pariter Sess. XIV. c. 4. haec habet « Docet praeterea (s. Synodus) etsi contritionem hanc (quam nempe definiverat superius) aliquando caritate perfectam esse contingat hominemque Deo reconciliare, priusquam hoc Sacramentum actu suscipiat; ipsam nihilominus etc » Ubi advertendum est Concilium non dicere *caritatem perfectam*, sed *contritionem perfectam* caritate. Porro actus quilibet tum dicitur caritate perfici, cum a caritate imperatur vel ex motivo caritatis ponitur; contritio igitur, quae caritate perficitur, est detestatio peccati et propositum non peccandi propter amorem Dei per se super omnia dilecti. Dummodo vera sit

caritas vel remissa vel intensa, negari nequit contritionem ex ea determinatam esse contritionem perfectam caritatem. Cum ergo Synodus dicat simpliciter *perfecta caritate*, non autem *caritate intensa*; tenendum est Synodum docere contritionem informatam caritate, dummodo sit vera caritas, satis esse ad reconciliandum hominem Deo. Secus cum nomen caritatis simpliciter sumptum pro quavis vera caritate sive remissa sive intensa supponat, ideoque phrasis haec: *contritio caritate perfecta accipi iure possit et debat*, si in sensu proprio ac obvio verba sumuntur, de quavis vera caritate informante contritionem, et idcirco quod de huiusmodi contritione praedicatur, nempe *reconciliare hominem Deo ante Sacramentum actu susceptum*, accipi merito possit de contritione informatâ quacumque vera caritate, imo debeat accipi; si sola caritas intensa, non omnis vera caritas id praestaret, falsa esset simpliciter propositio Concilii: quemadmodum falsa foret ea annuntiatio, in qua de genere universim affirmares, quod proprium est speciei. De sensu voculae *aliquando* dicemus in tertia parte huius thesis.

V. Auctoritas eadem, quae probat caritatem reconciliare hominem Deo citra actualem susceptionem Sacramenti, probat id pro quavis vera caritate, non tantum pro intensa: ergo huiusmodi intensio nullo modo est necessaria. Advertendum est nobis non esse modo quaestionem cum iis, qui negent per caritatem hominem iustificari, sed cum illis, qui, hoc admisso, volunt tamen caritatem intensam tantum id efficere. Dicimus ergo ea auctoritate, qua probatur caritatem iustificare, probari caritatem quamvis, dummodo vera sit, iustificare. Conferantur testimonia allata ex Scripturis, *si quis diligit me, diligetur a Patre meo: qui manet in caritate, in Deo manet: qui diligit, natus est ex Deo*, ea simpliciter caritatem exhibent, caritatem veram, quae idcirco praedita sit excessu appretiativo; excessum vero intensivum nihil est quod suadeat ibi significari. Quemadmodum ergo cum in Scripturis dicitur fides, spes et huiusmodi eiusque aliquid tribuitur, licet eae possint esse remissae et intensae, nulli venit adhuc in mentem quae de iis affirmantur, cum hac limitatione accipere, ut vera sint pro fide aut spe intensa non autem pro remissa; quid est quod pro caritate haec distinctio adhibetur?

Verum nonne Matthaei XXII. 36 seqq. Christus respondens interroganti quoniam sit mandatum magnum in lege, docet dilectionem Dei debere esse ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente? quibus perfecta intensissima caritas significatur.

Responsionem duplarem afferre licet. 1<sup>a</sup> est s. Thomae II<sup>a</sup>. II<sup>ss</sup>. q. XLIV. a. 3. « Est considerandum quod dilectio est actus voluntatis, quae hic significatur per cor.... Tria autem sunt principia actuum,

quae moventur a voluntate, scilicet intellectus, qui significatur per mentem, vis appetitiva inferior, quae significatur per animam, et vis executiva exterior, quae significatur per fortitudinem seu virtutem seu vires. Praecipitur ergo nobis ut tota nostra intentio feratur in Deum, quod est ex toto corde, et quod intellectus noster subdatur Deo, quod est ex tota mente, et quod appetitus noster regulet secundum Deum, quod est ex tota anima, et quod exterior actus noster obediat Deo, quod est ex tota fortitudine vel virtute vel viribus Deum diligere. » His vero omnibus fit satis per excessum appretiativum. Unde in praeced. art. docuerat s. Thomas quod perfectio caritatis viae in eo est quod « nihil contra Dilectionem hominis recipiat », h. e. praeferat Deum omnibus. Et sane intensitas actus, sine qua essentia actus esse potest, sub pracepto non cadit; praceptum est autem ut diligamus Deum toto corde, tota mente etc., ergo his verbis non intensitas, sed ipsa perfectio essentialis actus, quae in excessu appretiativo consistit, significatur.

Aliter quoque responderi posse censemus. Certe qui diligit semper et nunquam peccat omnem levem observans, diligit Deum ex toto corde ex tota anima ex tota mente et omnibus viribus suis. Iam vero est ne hoc mandatum? profecto si quodlibet peccatum prohibitum est, illud erit praceptum? Sed interest primo utrum hoc totum praceptum sit sub gravi, an quaedam ex his sub gravi, quaedam sub levi, deinde utrum quod praceptum est sit necesse habere semper pro consequenda salute, an satis sit habere aliquando: tandem utrum quod universim praceptum est, sit etiam praceptum pro aliquo speciali fine, puta pro hoc, nempe pro obtinenda remissione peccatorum: nam plura profecto possunt esse mandata simpliciter, quam quae mandata sint pro assequenda reconciliatione. Iam vero Christus non loquitur de eo, quod mandatum est pro obtinenda remissione peccatorum, sed tantum docet quoniam sit mandatum magnum in lege, Moysis scilicet, quod tamen etiam nunc valet. Porro certe praceptum est ut diligamus Deum, certe praceptum est ut numquam offendamus Deum, quod qui praestat, certe diligit Deum (Ioan XIV, 21) eumque diligit ex toto corde etc., hoc praeterea est praceptum magnum, cuius tamen totalis observatio neque est necessaria sub gravi, multoque minus necessaria est pro assequenda remissione peccatorum, neque id Christus ullo modo docet. Ergo perperam ad haec verba Christi provocant adversarii.

VI. Et re quidem vera necessitatem huius intensionis recta ratio ex principiis fidei certe excludit. Non tenetur scilicet quis omnem conatum adhibere, quem potest iuxta vires gratiae, quas habet ad actum contritionis eliciendum. Nam haec foret correspon-

dentia totalis gratiae acceptae: atqui haec correspondentia totalis gratiae acceptae non exigitur ex eo quod gratia tanta sit data, sed spectat ad perfectionem supererogatoriam; secus enim peccaret etiam qui bene ageret, dum nempe ex gratia legem observaret cum rectissima intentione et veraci amore Dei, non tamen tantum intense, quantum posset. Sed sicut nemo pro observatione legis et merito tenetur adhibere totum conatum naturae, cuius est capax, sed satis est quod faciat id, quod lex praecipit, ponatque id, quod ex natura rei vel lege exigitur pro aliquo fine, puta pro reconciliatione assequenda, ita neque tenetur homo agere secundum omnes vires gratiae, quas habet. Et sane contritio ex caritate quamvis non intensa praestat id omne, quod requiritur ut habeatur perfecta conversio hominis ad Deum. Nam ut haec habeatur, exigitur dispositio removens efficaciter, prout dispositioni licet, subiectum a forma opposita, et existens in eodem ordine, ac forma inducenda. Id autem praestat et caritas remissa. Nam separat efficaciter hominem a peccato, cum Deum propter se omnibus preeferat, et cum sit actus verae caritatis et amor amicitiae ad Deum, est in eo ordine, in quo est habitus caritatis et gratiae sive amicitiae divinae inducendus.

Si vero exigitur intensio comparativa, ut nempe homo plus doleat de peccato quam de quolibet alio malo, vel quam diligt quodlibet aliud bonum creatum, a) exigitur id, quod frequenter non est in nostra potestate; intensio enim actus doloris aut amoris pendet ex eo quod plerumque nobis liberum non est; pendet nimurum ex sensibili et experimental cognitione, quae nobis est naturalis. Oportet autem ut conversio hominis ad Deum sit prorsus in eius potestate. b) Sequeretur eum, qui absolute magis dolet etiam quoad intensitatem, non iustificari, iustificari autem qui minus dolet. Fieri enim potest ut qui absolute magis dolet, comparative minus doleat quam alius, eo quod intensum dolorem habet, puta ob mortem filii, quo dolore alter caret. Id vero, ut iam diximus, est praeter ordinem iustitiae.

Tandem ut actus peccati dissolvat amicitiam Dei, nulla in eo intensitas requiritur, nec opus est ut sit intensior actibus praecedentibus caritatis, vel eius habitu, sed sufficit excessus appretiativus: ergo, nisi aliunde ac lege positiva Dei oppositum demonstretur, et pro reconcilianda amicitia Dei satis erit actus caritatis cum excessu appretiativo. Ex illo enim colligere licet, id quod Deus in actibus nostris doloris aut amoris considerat, esse id quod proprie ad voluntatem pertinet, quod prorsus est in nostra potestate, quodque ad essentiam doloris et amoris spectat. Intensio autem et ad sensum pertinet, nec libera est omnino nobis, et accidentaliter se habet ad actum.

Quod vero requiratur aliquis intensionis gradus sive maior, sive minor, soli Deo cognitus, admitti nequit; tum quia omni auctoritate haec opinio destituitur, tum quia nulla unquam vel probabilitas haberri posset exerciti actus doloris aut amoris Dei super omnia, et idcirco inutile esset praeceptum de huiusmodi actibus, cum iustificatio opere operantis consequenda est.

VII. Restat ut adversariorum argumenta audiamus. Quaedam iam attulimus in praecedente Thesi, ex quibus illud, quod desumitur ab obligatione confitendi ante Eucharistiae susceptionem (Syn. Trid. Sess. XIV. cap. 7.), maximi facit Merbesius magni nominis in huiusmodi Scriptorum caetu auctor, ipso uno conficiens probationem suae conclusionis l. c. Si enim, ita argumentatur, contritio sufficeret pro statu gratiae acquirendo, perperam ea obligatio imponeretur. Et cum sibi ipse obiiciat quod urgente necessitate permittit Concilium Sacerdoti celebrare absque praevia confessione, obligatione imposita quam primum confitendi, respondet hanc facultatem a Concilio fieri *Sacerdoti Curato* (ita enim huiusmodi homines Conciliorum decreta interpretantur, ut Sacerdos sit Sacerdos curatus, genus sit species) neque tamen Concilium existimare per contritionem imperfectam, h. e. quae perfectum et intensum Dei amorem non includit, quamvis sit vera contritio, peccata remitti. Verum ineptissimam esse hanc argumentationem facile liquet: 1) quidem, contra ipsum Merbesium eiusque sodales idem argumentum adhibentes, valeret haec argumentatio, si quidem valeret. Docent enim ipsi per caritatem et contritionem intensissimam remitti peccata, porro Concilium decernit «ut nullus sibi conscientia peccati mortalis, quamvis sibi contritus videatur, absque praemissa Sacramentali confessione ad sacram Eucharistiam accedere debeat»: ergo etiamsi quis habeat intensam et intensissimam contritionem (quae certitudine morali, quae ceteroqui sufficiens est pro opportuna dispositione ad Sacraenta, constare potest), debet prius confiteri; ergo neque intensissima contritio iustificat. Itaque 2) ratio huius decreti, quo perpetua Ecclesiae praxis et Apostolica traditio confirmata est, petenda est ex speciali reverentia, quae huic divinissimo Sacramento debetur, voluit nempe Deus ut securiori medio uterentur fideles pro comparando sibi statu gratiae necessario ad dignam illius Sacramenti susceptionem. Et sane 3) cur non pro omnibus Sacramentis sed pro Eucharistia tantum id praescripsit Synodus? cur Theologorum et Ecclesiae sensus tenet pro digna susceptione aliorum Sacramentorum vivorum non esse peccatori necessariam determinate confessionem Sacramentalem, sed disiunctive vel contritionem, vel confessionem?

Alia argumenta haec sunt. Mulieri peccatri Luc. VII. 37. seq.